

me principis Evangelii ac S. Pauli, & hinc unice tenendum.
Pontas.

NOTA. Si evidens foret injustitia vestigalium, v. g. si manifeste ac palpabiliter repugnarent pactis reciprocis vicinorum Statuum, aut capitulationi juratæ cum Statibus provinciae initæ, aliud dicendum foret.

CASUS XII. Gilbertus secreto negotiationem falsi exercet, quæ tamen sub pœna mortis, aut saltem treremium interdicta est. Peccatne mortaliter? Num & illi peccant, qui ab eo emunt?

q. Peccat mortaliter; cum se per hoc commercium exponat periculo vitæ, aut saltem perdendæ libertatis. Non minus peccant ementes ab eo falem; quia Gilberto peccandi occasionem præbent. Addi potest, quod ejusmodi mercimonium exercentes frequenter negligant obligationes Christiani catholici, v. g. non audiendo missam diebus fe
Pontas.

NOTA. Etiam in hoc genere attendendæ sunt capitulationes Principum cum singulis provinciis initæ. Vide *cas.* II.

CASUS XIII. Nobilis quidam jurisdictionem territorialem habens in pago redditus suos valde auget procurando emphitevtis suis minorem, ac præstare tenerentur, tributum taxationem. Num iuste?

q. Committit injustitiam, & tam ipsius emphitevtæ, quam collectores tributi tenentur cum ipso ad restitutionem. A parcho ipsis deneganda absolutio, nisi restituant, & in futurum ab ejusmodi injustitia delistere serio promittant. Nullus Superior dictum parochum cogere potest, ut eos contra propriam suam conscientiam absolvat. *De Lamet.*

TUTOR.

1. Imperator Justinianus definit Tutelam his verbis: Tutela est vis ac Potestas in capite libero ad tuendum eum, qui propter ætatem se defendere nequit, jure civili data, ac permissa. Addit: Tutores autem sunt, qui eam vim ac potestatem habent. Minorennis dicitur, qui necdum complevit annum ætatis vigesimum quintum, & nondum habilis ad regendum se ipsum, & ad administranda ac conservanda jura & bona sua indiget adminiculo tutoris aut curatoris juxta verba legis: Tutor non rebus dumtaxat; sed etiam moribus pupillis præponitur.

2. Tu-

2. Tutela per se ac naturaliter deferenda est consanguineo proximiori, si non obtent defectus eum excludentes ab hoc munere, aut rationes alleget legitimas eximentes eum ab hoc onere; quo in casu alius consanguineus aut affinis designandus est, aut in eorum defectu omnino exterus. In necessitate minorenni constitui possunt plures tutores. Pater est tutor natus suorum liberorum; & licet parentes nominare possint tutorem pro suis liberis minorennibus, potest tamen ex causis legitimis nominari alius.

3. Tutor a patre nominatus non tenetur præstare cautionem, quam tamen in majus emolumentum minorennis offerre potest; quo in casu omnibus aliis in tutela præferendus est.

4. Quilibet tutor confirmari debet a judice domicili minorenis, & post confirmationem deponere juramentum de fideli administratione bonorum ad minorem pertinentium. Antequam huic administrationi se immisceat, autoritate judicis conficiendum est inventarium: si tamen ante confectio- nem inventarii ex improvviso ingens negotium superveniret, tutor in bonum minorennis pro ratione exigentiæ illud perficere posset.

5. Confecto inventario tutor diligenter conservare tenetur omnia jura, chartasque usui futuras pro se minorennis sui. Quod attinet fundos aliaque bona immobilia minorennis, ea post publicationem cum consensu consanguineorum elocanda sunt. Si autem non reperiat locatarius, tutor iis frui potest juxta conditiones ipsam inter & minorenis consanguineos stabilitas: & quia quandoque difficulter reperitur occasio utiliter disponendi de bonis ejusmodi, ordinarie de consilio & assensu consanguineorum tutori determinatur tempus, intra quod hæc bona in emolumentum minorennis convertenda sunt; vi legum tamen tutor nec per se ipsum nec per personas substitutas ea emere potest.

6. Circa pecunias pupillares nil gravioris momenti propria autoritate moliri licet tutori; hinc nominandus a judice certus numerus consanguineorum, aut iis deficientibus aliarum personarum, ex quarum consilio tutori agendum, ita ut absque prævia cum iis consultatione in favorem sui clientis nec intentare nec prosequi litem possit.

7. Si bona non sufficiunt ad sustentationem minorennis, tutor non tenetur addere ex bonis suis propriis; nec, si rem suam bene gessit, ipsi imputari possunt mali eventus, aut casus fortuiti.

8. Si minor habet plures tutores, qui communiter administrant bona ipsius, quilibet eorum in particulari obligatur
mino-

minorenni in solidum; nec potest vi consuetudinis in variis provinciis receptæ minorennis adepta majorennitate tutori suo condonare obligationem reddendæ rationis de sua administratione

9. Bona tutoris a die, quo tutelam suscepit, minorenni sunt oppignorata; prout & omnia bona secundi mariti, si mater ad secundas nuptias transit, quin prius prolibus suis, quarum tutrix erat, tutorem nominandum curaverit, rationemque reddiderit, aut affectionem præstiterit de omnibus, quæ iis adhuc deberentur.

10. Quando tutor in eum statum redigitur, ut non sit solvendo, minor factus majorennis non potest pro solutione convenire iudicem, qui tutorem nominavit; quia nominando illum solum confirmavit nominationem factam a consanguineis, & a nominato juramentum recepit.

NOTA. Jus Romanum hæc in re aliud decernit quam Gallicanum. Sic Leg. *Adversus*. 4. Cod. Lib. 5. Tit. 75. statuitur: *Adversus nominatorem tutoris vel curatoris minus idonei non ante perveniri potest, quam si bonis nominati, itemque fidejussoris ejus, nec non collegarum, ad quorum periculum consortium administrationis spectat, excussis, non sit indemnitati pupilli, vel adulti satisfactum.*

11. In obligationes defuncti tutoris succedit hæres illius; & si hæres iste gerendæ tutelæ capax est, ad eam obligatur quoad omnia, quæ ad ipsius notitiam pervenerunt, usque dum novus constituatur tutor; immo si ultro in tutelam gerendam sese immiscuit, eadem ipsi incumbit cura, quæ incumbebat defuncto tutori.

12. Tutor hypothecam habet in bonis minorennis, si hic tutori suo obligatur; immo hypotheca hæc est privilegiata & præferenda aliis hypothecis quoad ea, quæ tutor ex propriis pecuniis expendit ad conservanda vel recuperanda bona minorennis.

13. Tutela finitur adepta majorennitate: hoc tamen non obstante tutor continuare tenetur curam suam pro rebus minorennis facti majorennis, si eam deponere non potest sine detrimento illius. Eadem adhuc ipsi cura incumbit pro hærede minorennis defuncti. Finitur quoque tutela per mortem civilem tutoris ac minorennis; in hoc tamen posteriore casu tutor tenetur prosequi tutelam in favorem eorum, quibus administrationis tutelariorum reddenda ratio est. Denique tutela finitur per depositionem judicialem tutoris, quæ fieri potest ob prævaricationem, malam fidem, aut supinam ejusdem negligentiam.

14.

14. Fœmina non potest esse tutrix nisi suarum prolium. Avia quoque potest esse tutrix nepotum suorum; tutela potest etiam relinquere secundo marito. Surdi, cæci, muti, paralytici, alique gravi infirmitate laborantes ab onere gerendæ tutelæ sunt exempti. Minorennis nunquam potest nominari in tutorem. Vir septuagesimum ætatis annum jam egressus potest recusare tutelam, si forte ad eam vocaretur; non tamen eam potest dimittere, si ætatem hanc durante tutela complevit. Si tamen quis jam numerat 68. aut 69. ætatis annos, & quatuor liberos, æquitas videtur exoptare, ut iudex a tutela eum liberet.

15. Qui habent quinque liberos legitimos adhuc viventes, a gerenda tutela eximuntur: inter ejusmodi liberos computantur quoque liberi filiorum & filiarum jam defunctorum, ita tamen, ut plures liberi ejusmodi filii vel filię habeantur tantum pro uno; non attenduntur autem in hoc casu liberi, qui post acceptationem tutelæ nascuntur.

16. Qui jam habet tres tutelas distincta administratione gerendas, non potest cogi ad acceptandam quartam; immo si unius tutelæ administratio jam satis est onerosa, tutor potest recusare secundam.

17. Quando inter patrem minorennis & nominandum tutorem viguit inimicitia, eaque perduravit usque ad mortem patris, tutela illi committenda non est: generaliter enim loquendo æquitas naturalis exigit, ut tutor foveat internam affectionem erga minorennem, quod in hisce circumstantiis sperandum non est. Et hinc prudentia exigit, ut iudex non confirmet tutorem, qui videtur male affectus erga minorem, ejusque familiam; cum sic nec minorennis ullam sit habiturus confidentiam erga tutorem ejusmodi.

18. Qui per privilegium Principis sunt exempti a tutela gerenda, possunt eam recusare; sed ejusmodi privilegium non agit retro, & primum post nominationem obtentum non efficit, ut tutor tutelam semel susceptam possit dimittere.

19. Clerici in majoribus constituti non possunt cogi ad acceptandam tutelam aut curatellam: licet tamen iis acceptare tutelam in pupillos consanguineorum suorum.

20. Et si quis in tutorem nominatus appellet a sua nominatione ad iudicem superiorem, tenetur tamen interea provisionaliter gerere tutelam, ne minorennis necessario ullo unquam tempore destituatur auxilio.

21. Dum quis semel acceptavit tutelam, non potest petere dimissionem ab ea propter causam jam prius existentem,

non tamen allegatam; si autem post acceptationem tutelæ nova superveniat causa, dimissionem petere potest.

CASUS I. Theotimus tutor Honorati tribus annis nati confecto inventario omnium rerum ad pupillum pertinentium, tapetes triginta ulnis consistentes, vestemque ex panno Anglico confectam inclusit cistæ; inde factum, ut intra annum non minus tapetes quam vestis a vermibus notabiliter corrumpentur. Teneturne pupillo resarcire damnum?

g. Theotimus absque dilatione debuisset vendere omne id, quod pupillo non fructificare poterat, sed potius lapsu temporis corruptioni erat obnoxium. Hinc tenetur ad reparandum damnum pupillo illatum. *Si tutor cessaverit in distractione earum rerum, quæ tempore deperierunt, suum periculum facit*, ait Lex Tutor. 7. ff. Lib. 26. Tit. 7. *debet enim confestim officio suo fungi... non quidem præcipiti festinatione, sed nec moratoria cunctatione.* Pontas.

CASUS II. Hortensius tutor Eugenii quindecim annos nati, annuosque redditus 3000. florenorum possidentis, quotannis pro sustentatione pupilli sui aliisque tutelæ obligationibus impendit 1500. florenos. Eugenius factus majorennis administratæ tutelæ rationem exposcit, quam & Hortensius deponit, ac deductis expensis in sustentationem Eugenii residuam perceptorum summam ipsi tradit. Eugenius summam non contentus annum insuper ex ea censum exigit, & propterea tutorem in judicio convenit. Potestne tuta conscientia a tutore censum percipere, si hic singulis annis per decennium suæ tutelæ 1500. florenos reposuit, quia hanc pecuniam in proprium suum lucrum converteret?

g. 1. Tutor regulariter loquendo tenetur pecunias pupillares provenientes ex venditione mobilium, & debitis activis, ex relictionibus &c. convertere in fundum ad comparanda v. g. prædia vel alia bona immobilia, si que augere redditus annuos sui pupilli; ait enim Lex Tutor. 7. §. 3. ff. Lib. 26. Tit. 7. *Si post depositionem pecuniæ comparare prædia tutores neglexerunt, incipient in usuras conveniri.* Dicitur, regulariter loquendo; quia si tutor non obitante omni adhibita diligentia utilem occasionem sic fructificandi pupillo suo non repererit, extra culpam est. 2. Hæc obligatio tutoris primum incipit a die perceptæ pecuniæ, sufficiensque ipsi tempus assignatur, ut eam possit convertere in utilitatem pupilli. Sic pariter certum tempus constituitur, quo parsimonia in fundum collocari debeant. Ex his eruitur, Hortensium egisse contra obligationem suam, dum per decennium tutelæ suæ perceptos singulis annis 1500. florenos asservavit, sufficientemque eos in utilitatem pupilli sui convertendi diligentiam non adhibuit. Hinc juste a iudice

COR.

condemnari potest ad solvendum pupillo annum censum ex summa reposita; pupillusque tuta conscientia hunc censum recipere potest. Pontas.

CASUS III. Aristarchus tutor Ambrosii, cum non reperiret aliud medium 1000. florenos pertinentes ad pupillum suum utiliter elocandi, eos de anno in annum convertit in simplex mutuum, censumque ex his percepit usurarum in bonum pupilli. Teneturne ad restitutionem mutuatario ex bonis propriis?

g. Si Aristarchus in casu proposito egit mala fide & sciens, hunc usum pecuniarum pupillarum esse peccaminosum, tenetur ex bonis propriis mutuatario restituere. Si autem egit bona fide, non tenetur ad hanc restitutionem: attendendum tamen est, an non sit factus ditior. Pontas.

CASUS IV. Salvina viduaATRIX suorum liberorum in manibus suis habet 3000. florenos ex bonis paternis ad eos pertinentes: hanc summam mutuam dat cuidam nummulario, & quotannis ex ea percipit censum 150. florenorum pro bono prolium suarum; nec male se agere existimat, cum ex consuetudine loci in similibus sic agi soleat. Post quatuor annos transit ad secundas nuptias cum Lamberto mercatore, qui tanquam dominus bonorum communium pergit bona fide eundem censum recipere a nummulario, animo ipsam summam principalem repetendi ab eo, eamque suo applicandi commercio; id tamen assequi non potuit: nec in judicio nummularium compellere voluit, ut litem evitaret. Teneturne Salvina in conscientia restituere nummulario hos censum usurarios? Num ad id tenetur Lambertus, aut in defectu eorum ipsi pupilli?

g. Bona fides tam Salvinam ac Lambertum, quam ipsos pupillos eximit ab obligatione restituendi. Pontas.

CASUS V. Cassander tutor Jeremiæ ex culpa levi permittit perire vineam pupilli sui. Teneturne in conscientia ad compensationem damni?

g. Tenetur juxta regulam juris 23. ff. Lib. 50. Tit. 17. quæ ait: *Contractus quidam dolum malum duntaxat recipiunt; quidam & dolum & culpam. Dolum & culpam tutelæ, negotia gesta; in his quidem & diligentiam.* Et certe tutor tenetur in conscientia eam adhibere diligentiam in administratione rerum pupilli sui, quam prudens ac sollicitus paterfamilias adhibet pro bono propriæ proles; quod Cassander neglexit. Pontas.

NOTA. In foro interno non tenetur ad culpam levem, nisi tutelæ se ultro ingesserit: quia non convenit æquitati naturali, ut cuiquam imponatur sine mercede munus tantis curis & periculis obnoxium: culpæ enim leves sunt difficulter evitabiles, admittunt facilem accusationem, difficilem defensionem.

CASUS

CASUS VI. *Avircius intulit suo pupillo damnum ex culpa levissima. Teneturne illud reparare?*

3. Si non expresse convenit cum pupillo de præstanda etiam culpa levissima, non tenetur ad reparationem damni hujus; quia leges tutorem solum obligant ad præstandam culpam levem, nullibi autem ad levissimam. Si dicitur Leg. *Quidquid*. 7. Cod. Lib. 5. Tit. 51. *Quidquid tutoris dolo, vel lata culpa, aut levi, seu curatoris, minores amiserint, vel, cum possent, non adquisierint; hoc in tutela seu negotiorum gestorum utile judicium venire, non est incerti juris.* Pontas.

CASUS VII. Symmachus & Faustinus nominati fuerant tutores Cyrilli per testamentum patris defuncti, accedente etiam ad petitionem consanguineorum minorennis confirmatione judicis. Conveniunt autem ambo, ut oblatis ab altero 150. florensis Faustinus solus tutelam in se susceperet. Quo facto Faustinus intra duos annos & sua, & bona pupilli penitus dilapidavit. Cyrillus factus majorennis præterdit. Symmachum in solidum teneri cum Faustino, ad reddendam de administratione rationem, reparandumque integrum damnum. Num justa hæc prætentio?

3. Si onus tutelæ & administratio bonorum pupilli fuit communis utrique, quin administratio distincta, cuiuslibet fuerit assignata, Symmachus tenetur ad reparandum integrum damnum a Faustino pupillo illatum. Leg. *Si plures*, 38. ff. Lib. 26. Tit. 7. Si autem Faustinus in susceptione tutelæ cautionem præstitisset, Cyrillus non posset convenire Symmachum, nisi convento prius fidejussore. Leg. *In omnibus*. 1. §. 15. ff. Lib. 27. Tit. 3. Pontas.

CASUS VIII. Aventinus tutor, ut se liberaret ab onere tutelæ, emit Officium, cui annexum est privilegium exemptionis a munere tutelæ. An poterit hac via se eximere?

3. Non poterit. Ratio est; quia intentio Principis concedentis hoc privilegium non est eximendi eos, qui jam actu susceperunt tutelam, sed eos solum, quibus necdum onus incumbit; ita ut inviti non possint compelli ad suscipiendam tutelam: id quod apprime conforme est juri Romano, quod Leg. *Tutor*. 28. ff. Lib. 27. Tit. 1. ita statuit: *Tutor petitus ante decreta diem, si aliquod privilegium quaerit, recte petitionem institutam excludere non poterit.* Pontas.

CASUS IX. Leontius constitutus Alphonfi tutor, cum recusaret tutelam, & judex ejus exulationem non admitteret, provocavit ad judicem superiorem, & post tres menses per sententiam fuit liberatus a tutela. Pendente autem appellatione, cum Leontius non gereret tutelam pupillus passus est damnum 150. florenorum, Teneturne Leontius ad compensandum pupillo damnum?

3. Te-

3. Tenetur: semper enim censetur esse tutor Alphonfi, donec per sententiam a tutela absolvatur; hæcque responsio consentanea est non solum æquitati naturali, quæ exigit, ut incessanter suscipiatur cura pupilli tam quoad personam quam bona ipsius, sed & juri Romano Leg. *Si is*. 31. ff. Lib. 27. Tit. 1. dicenti: *Ipsa jure tutor est, & antequam excusetur.* Pontas.

CASUS X. Elpidius filiusfamilias viginti quinque annos jam egressus, attamen adhuc constitutus sub potestate patris, nominatus fuit in tutorem Florentii, quem ex sacro fonte susceperat. Cum Elpidius tam sua quam pupilli bona dilapidasset, ac consequenter Florentio illatum damnum compensare non posset, hic majorennis factus convenit patrem Elpidii. Num jure?

3. Si pater Elpidii nil aliud præstitit quam præ se suum consensum in nominationem filii in tutorem, quin se immiscuerit ipsi administrationi, non tenetur damnum compensare Florentio. *Nec multum*, ait Lex *Lucius*. 21. ff. l. b. 6. Tit. 7. *videri in hoc casu facere patris scientiam & consensum ad obligandum eum in solidum.* Lege autem *Si filiusfamilias*. 7. ff. Lib. 26. Tit. 1. sic habetur: *Si quidem pater tutelam agnovit, in solidum debet teneri. . . . Agnovisse autem videtur, sive gestit, sive gerenti filio consensit, sive omnino attingit tutelam.* Pontas.

CASUS XI. Pelagius per testamentum fuit nominatus tutor Joannis ab ejus patre ea conditione, ut, quidquid ageret cum consilio matris, non teneretur de ea re dare rationem. Itaque cum consensu matris movit injustam litem, quam perdidit. Joannes factus majorennis recusat suo tutori restituere expensas litis. Num juste?

3. Joannes non tenetur ad compensationem expensarum suo tutori; non enim justum est, ut pupillus ferat culpam tutoris. Neque Pelagio patrocinatorum clausula testamenti apposita; quia intentio testatoris tantum ferebatur ad casum, quo tutor sequeretur consilium matris utile. Pontas.

NOTA. Solum infaustus litis exitus non probat culpam ex parte tutoris pro foro interno. Hinc judicio virorum prudentium indifferentium deferendum est, an Pelagius habendus sit pro temerario litigante.

CASUS XII. Hannibal in suo testamento nominavit filio suo unigenito Theodorico tutorem Tiburtium proximum consanguineum, & vrum probum. Sed post ejus mortem quinque aut sex consanguinei constituerunt pupillo huic alium tutorem. Num iuta conscientia?

3. Interveniēte causa legitima possunt constituere alium tutorem, observatis tamen iis, quæ a consuetudine, & jure præscribuntur, v. g. nominatione aut confirmatione judicis. *Pontas.*

CASUS XIII. Cum deliberaretur de assumendo Gratiano in tutorem, multis ejus paupertatem allegantibus, Godefridus scripto certum reddidit, illum esse solvendo, & ob hoc testimonium in tutorem electus est. Si Gratianus dissipet bona pupilli, ac postmodum reperitur, eum non esse solvendo, an pro compensatione damni poterit a pupillo conveniri Godefridus?

3. Juxta legem *Cum ostendimus. 4. §. 3. ff. Lib. 27. Tit. 7.* potest conveniri Godefridus; hicque tenetur pupillo reparare damnum. *Eadem causa videtur affirmatorum,* ait hæc lex, qui scilicet, cum idoneos esse tutores affirmaverint, fidejussorum vicem sustinent. *Pontas.*

NOTA. Hæc iterum procedunt pro foro externo, in quo disponitur per præsumptiones circa culpam præteritam, & in futurum ad aliorum eantelam.

CASUS XIV. Arnulphus tutor Alexandri, cujus annui redditus ex legato amici sunt 1000. floreni, ex his durante tutela partem applicuit pro sustentatione fratris ac sororis Alexandri nulla alia bona habentium. Alexander factus majorennis improbat hanc administrationem, & petit a tutore compensationem. Num tuta id conscientia petit?

3. Injuste petit Alexander a tutore compensationem: leges enim volunt, ut tutor ex bonis pupilli alat etiam matrem, sororem, adeoque & fratrem ejus, si aliunde non habeant congruam sustentationem. Sic dicitur *Leg. Tutor 13. §. 2. Lib. 26. Tit. 7.* *Aliud est, si matri forte aut sorori pupilli tutor ea, quæ ad vitium necessaria sunt, præstiterit: cum semet ipsa sustinere non possit: nam ratum id habendum est:* Consultius tamen fuerit, si desuper a tutore requiratur mandatum judicis. *Pontas.*

CASUS XV. Titius tutor suo pupillo Andronico ad executionem debitorum mutuos dedit 1200. florenos. Postmodum Andronicus factus majorennis mutuos accepit a Mævio 3000. florenos, eique hypothecam constituit in unico fundo suo. Lapsu temporis Mævius obtinet excussionem bonorum Andronici, & Titius præten dit, sibi prius deberi solutionem. Quinam horum prius solvendum mutuum?

3. Sicut minorennis habet naturalem hypothecam in bonis sui tutotis, sic etiam tutor habet naturalem ac tacitam hypothecam in bonis pupilli sui: hoc casu mutua sunt actiones, in.

inquit Imperator Infit. *Lib. 3. Tit. 28. §. 2.* Hinc Andronicus non potuit Mævio constituere hypothecam in fundo suo in præjudicium Titii, cui prius debetur solutio. *Pontas.*

CASUS XVI. Domicius suo filio unico Vincentio per testamentum constituit tutorem Theophilum addita clausula, ut non teneretur suæ administrationis reddere rationem. Theophilus etiam a Judice fuit confirmatus, & gessit tutelam, usquedum Vincentius majorennitatem attingit. An nihilominus Theophilus poterit cogi a Vincentio ad deponendam rationem?

3. Obligatio reddendi rationem in tutore est absolute indispensabilis, non obstantē deobligatione per testamentum facta. *Leg. Ita 5. §. 7. ff. Lib. 26. Tit. 7.* Hinc Vincentius absque injustitia, etiam judicialiter, cogere potest tutorem ad deponendam rationem. Imo etsi pupillus factus majorennis transegisset cum tutore ratione administrationis, eique absque depositione rationis dedisset apocham bene gestæ tutelæ, totum inutile foret tutori. *Pontas.*

CASUS XVII. Gennadius tutor Amandi cum consensu omnium consanguineorum sui pupilli processum instituit pro adjudicanda pupillo hæreditate 1000. florenorum, quæ injuste ipsi denegabatur. Durante lite moritur Gennadius, & consanguinei per sex menses non constituerunt Amando alium tutorem. Interea pars adversa sibi adjudicari fecit hæreditatem, quin hæredes Gennadii aut consanguinei Amandi pro bono ipsius solliciti fuerint, etsi facile potuissent. Amandus factus majorennis convenit hæredes sui tutoris Gennadii, petitque ab eis compensationem damni. Num jure?

3. Cum hæredes Gennadii facile potuerint defendere Amandum suo tutore spoliatum, ejusque curam gerere, & negotium fuerit urgens ac gravis momenti, ipsorum obligatio fuisse bono pupilli invigilare, usque dum novus eidem tutor constitueretur; hinc tenentur ipsi compensare damnum *Leg. Quamvis. 1. ff. Lib. 27. Tit. 7.* Si ageretur de aliis negotiis quibusvis, quorum tractatio, etsi ex mera negligentia, necdum fuit inchoata ab ipso tutore, juxta legem *Cum ostendimus. 4. §. 1. ibid.* hæredes tutoris ad nihil tenerentur pupillo vel minorenni. De cætero quoad rem hanc inspiciendæ sunt leges ac consuetudines peculiare cujuslibet provinciæ, quibus valor constat etiam pro foro interno. *Pontas.*

VANA GLORIA.

1. Humana gloria pertinet inter bona temporalia, ejusque desiderium non est ex sua natura peccaminosum juxta D. Thomam, dummodo ea appetatur ex actione bona ad bonum finem. Sic quandoque necesse est, ut bona opera nostra, quæ peragimus, innotescant proximo ad ejusdem ædificationem & stimulum similia peragendi.

2. Verum si gloria, quam quis appetit, est *vana*, absque ulteriori ordinatione vel ordinabilitate ad majorem Dei gloriam, & in ea vana foveatur complacentia, semper est peccatum, & quidem pro ratione circumstantiarum vel mortale vel veniale.

3. Juxta D. Thomam vana gloria, quæ consistit in inordinato appetitu famæ, laudis & honoris, etsi non semper sit peccatum mortale, numeratur tamen inter peccata capitalia, cum sit mater plurium aliorum peccatorum, quæ juxta S. Gregorium M. sunt *inobedientia, gulantia, hypocrisis, contentiones, pertinacia, discordia, & novitatum præsumptiones.*

CASUS I. Valerianus nobilis gloriæ ac laudis humanæ valde cupidus monetur a Confessario, quod peccet in hoc: ipse vero reponit, desideria sua nec obesse iis, quæ Deo deberet, nec in ullum vergere præjudicium proximo.

¶ Si gloria, quam appetit, re ipsa vana est, absque peccato esse haud potest. Est autem vana, dum quæritur ex re nihili aut indigna, dum unice quæritur laus & approbatio hominum, & denique dum appetitus gloriæ non refertur in debitum finem, scilicet ad honorem Dei & salutem proximi. Si Valerianus alterutro ex his modis gloriam appetit, a peccato excusari non potest graviori vel leviori, pro ratione nimirum majoris vel minoris deordinationis appetitus. Ita docet S. Thomas. *Pontas.*

CASUS II. Valerianus fatetur, se dictis tribus modis gloriam hominum appetere; sed non nisi venialiter se peccare existimat.

¶ Peccat mortaliter, si gloriæ cupiditas adversetur amori Deo debito, si videlicet gloriatur de re graviter illicita aut vergente ad gravem diminutionem honoris & reverentiæ erga Deum; aut si bona opera sua referat & ordinet ad laudem humanam tanquam ad ultimum finem suum; & propterea non dubitet transgredi mandata Dei, modo vanam aucupetur gloriam. Sic quoad præsentem materiam ratiocinatur D. Thomas; qui tamen postea concludit, vanam gloriam solum esse peccatum veniale, quando non extinguit amorem Deo debitum. *Pontas.*

VE.

VENATIO.

1. Etsi videatur *venatio* jure naturali non esse prohibita; Principes tamen sibi semper asseruerunt jus de ea disponendi respectu variarum circumstantiarum, quæ eam comitantur, & sequelarum, quæ exinde oriri possunt. Et hinc plerumque omnibus nobilitate destitutis; fenda, ditionem, aut jurisdictionem non habentibus interdicta est venatio sub certis pœnis.

2. Domini territoriales, ac nobiles habent jus venandi in suis feudis, ac ditionibus, modo uno milliari distent a locis, ubi Princeps venatione oblectari se solet.

3. Primaria ac principalis ratio variarum prohibitionum circa venationem est, ne subditi ruri degentes se totos venationi mancipent; secundaria, ut per privilegium venandi sua nobilibus in patriam merita, ac servitia compensentur. Omnibus tamen indiscriminatum certis anni temporibus venatio interdicitur, ut sic frugibus terræ parcatur.

4. Venatio omniverim interdicta est Clericis; & si quis horum ratione domini aut ditionis suæ habeat jus venandi, non potest illud per semetipsum ac personaliter exercere, quin peccet contra canones Ecclesiæ.

CASUS I. Capitulum ecclesiæ Ratisbonensis amplam possidet ditionem cum jure venandi. Maximilianus nobilis, illius ecclesiæ Canonicus quærit, an non liceat sibi venari in hoc districtu.

¶ Non potest ibi venari personaliter, sed solum per laicos, idque tantum cum consensu capituli. *Pontas.*

NOTA. Author Gallus sic loquitur in Gallia, ubi sacri canones adhuc vigent, & populus scandalizaretur, si videret venatorem Canonicum.

CASUS II. Stephanus Clericus commorans apud patrem suum, parochialis territorii dominum, quandoque cum eo ex complacentia pergit ad venationem leporum & perdicum.

¶ Non potest absque peccato hanc patri exhibere complacentiam. *Pontas.*

NOTA. Quilibet, præsertim Clericus, tenetur saltem sub veniali collaborare verbo & exemplo pro reductione honestatis clericalis exemplaris. DIXI *saltem*: contemptus enim habitualis honestatis clericalis invariabilis per Ecclesiam declarata peccatum mortale est in iis, qui non excusantur ignorantia invincibili.

CASUS III. Duo agricolæ cujusdam parochiæ sæpe venantur, frustra id ipsi prohibente domino loci.

P p 3

¶ Pec-

• *g.* Peccant, & quandoque etiam graviter. Verum non obligantur ad restituendam domo loci feram, quam occiderunt: excipiendi tamen sunt illi, qui occidunt cuniculos Dominorum habentium jus leporari, aut qui capiunt columbas, aut piscantur in stagnis *Pontas*

CASUS IV. Vitalianus nobilis in districtu ditionis ejusdam commorans sæpe venatur, non obstante, quod dominus supremam ibi jurisdictionem habens se opponat.

g. Si Vitalianus habet feudum, licet ipsi venari in toto districtu feudi sui. Si autem non habet feudum, absque injustitia venari non potest. *Pontas.*

CASUS V. Euthymius dominus territorialis in aliqua parochia magnam sæpe diei partem diebus dominicis ac festis impendit venationi, audita tamen prius missa privata.

g. Violat præceptum sanctificandi dies dominicos & festos, & committit peccatum valde grave, nisi semel saltem per mensem assistat missæ parochiali; quamvis pro certo non ausim dicere, peccatum hoc esse mortale, saltem nisi sit conjunctum cum formali contemptu præcepti, aut hæc agendi ratio causet grave scandalum. *Pontas.*

CASUS VI. Fernandus dominus territorialis amplæ ejusdam parochiæ tam immodice deditus est venationi, ut fere omnibus diebus ferialibus per totum annum egrediatur ad venandum.

g. Omnis excessus in quibuscumque oblectationibus est vitiosus; & Fernandus peccat graviter, si venetur per agros femine conspersos, aut in vineis tempore prohibito.

NOTA. Ejusmodi damnificatio, si uno actu aut iteratione actuum inferat damnum respectivo grave, referenda est ad genus peccatorum mortalium, & obligat ad restitutionem.

CASUS VII. Joannes Abbas regularis cum commotione corporis indigeret, bis aut ter per septimanam venatum it; quin tamen ullum ex eo oriatur scandalum.

g. Canones interdiciunt omnibus Clericis tam sæcularibus quam regularibus venationem cum canibus & avibus. Licet tamen quandoque venari absque canibus & avibus, dum id ad sanitatem necessarium est; dummodo raro fiat, & sine scandalo. Nihilominus melius foret, si sanitati consuleretur per aliam exercitationem corporis. *De Lamet.*

VENDITIO.

1. *Venditio* est contractus, quo venditor cedit emptori dominium rei pro stipulata summa pecuniæ: *sine pretio* enim *nulla est venditio*. Completur venditio per solum consensum mutuum contrahentium, etsi pretium nondum sit solutum, nec res vendita emptori tradita. Consensus iste inter præsentis præstatur vel viva voce, vel scripto; inter absentes vero per literas, vel per procuracionem: & tunc revocari non amplius potest consensus, nisi & altera pars assentiatur.

2. Omne, quod sub commercium venit, & natura sua pretio pecuniario æstimabile est, potest vendi, modo leges Ecclesiæ aut Principis non obstant. Sic vendi possunt 1. Bona mobilia & immobilia, aliæve res corporeæ. 2. Debita activa, servitutes activæ, omniaque jura in corporea. 3. Res futuræ, ut fructus ex fundo percipiendi, aut animalia ex grege nascitura. 4. Ipsa spes rei incertæ vendi potest, ut pices ex jactu retium capiendi, vel præda ex venatione obtinenda.

3. Venditio rerum, quæ numerantur, mensurantur, aut ponderantur, si minutatim vendantur, non perficitur, nisi completa enumeratione, mensuratione ac ponderatione; suspensaque interea manet venditio.

4. Generaliter loquendo quævis pars aut accessorium rei venditæ censetur vendita cum ipsa re, nisi expresse aliud fuerit stipulatum in contractu. Nihilominus dantur quædam accessoria, quæ non ingrediuntur contractum venditionis, ut apparatus equi sine omni apparatu venalis expositi.

5. Contractus venditionis triplicem complectitur obligationem. Prima est, quam ipsis imponunt contrahentes, consistitque in pactis, conditionibus, clausulis &c. in contractu expressis. Secunda est, quæ connaturaliter ad venditionem consequitur, sive exprimat, sive non. Tertia est, quam statuit lex, aut consuetudo loci.

6. Prima obligatio venditoris est, ut soluto sibi pretio emptori tradat rem venditam, eamque integram. Quando venditor non tradidit rem venditam loco & tempore constituto, tenetur emptori ad damnum & interesse. Pariter tenetur venditor, qui nondum tradidit rem venditam, sollicite invigilare pro conservatione ejusdem usque ad integram traditionem, imo majorem adhibere curam quam pro bonis suis propriis. Si vero sine impensis rem venditam conservare non posset, eas compensare teneretur emptor. Quando venditori res vendita retinenda, aut repetenda est ob defectum solutionis, & ejusdem pretium interea fuit diminutum, jure ab emptore